



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

14.

PLACIDAE AC MODESTAE
VINDICIAE
LEGVM DIVINARVM
POSITIVARVM VNI-
VERSALIVM,

OPPOSITAE

CELEBERRIMIS DVVMVIRIS,
CHRISTIANO THOMASIO

ET

FRANCISCO BVDDAEO

124.

A
IOANNE ANDREA GRAMMLICHIO
SERENISS. DVCI VVIRTEMB. A CONCION.
AVLICIS

ANNO DOM. MDCCXVI.

FRANCOFVRTI ET LIPSIAE

PROSTANT APVD IODOC. GVIL. KOHLESIVM, BIBLIOP.

144

§. I.



Qvod in præsens Legum Positivarum Universalium patrocinium in me suscipiam, forte miraberis, *Lector Amice*, qui me aliis iisque gravioribus multo negotiis occupatum conspicias. Sed mirari defines, si tecum consideraveris, non inconsulto quodam impetu id a me fieri, sed rogatu potius *VIRI* cujuscumque docti & ejus quidem mihi amicissimi. Ei morem gerere me jussit lex amicitiae & venerationis, quam isti ob insignem eruditionem & debeo & præsto. Accedit, quod juvet horis succisivis ejusmodi quid scribere & ad revocanda in memoriam pristina literarum studia, & ad reficiendum a gravioribus negotiis animum. Et tandem *Theologo* non indigna est tractatio de legibus divinis, in quarum quippe explicatione cardo ejus officii vertitur.

§. II.

Defensurus itaque sententiam de Legibus Dei Positivis Universalibus, *vindicias* meas oppono primo earundem & Auctori & Destructori. Is est famigeratissimus undequaque vir, *Christianus Thomafius*, qui primus ingenii sui subactissimi vires in id intendit, ut toties a viris doctis ante ipsum nominatas leges positivas universales describeret, earundemque probaret existentiam. Id ipsum præstare olim jam animum induxerat Illustris *Kulpifius*, qui, dari tale jus, *inquit*, & illud huc pertinere, professa opera aliquando ostendam; *Coll. Grot. ad II. §. pag. 57.* Sed tum negotiis pluribus doctus vir impeditus, tum inopinata

præventus morte, promissis illis stare non potuit. Unde celeberrimus *Thomasius* id sibi sumsit negotii, & magno cum adplausu & existentiam earum legum & naturam perspicue probavit ac explicuit, in *Jurisprudencia Divina*, præsertim *Lib. I. cap. II. §. LXIII. seqq.* Postea vero evenit, ut ille totum suum de *Jurisprudencia Divina* systema mutaverit, & ita etiam priorem de legibus Divinis Positivis universalibus sententiam, in *Fundamentis Jur. Nat. & Gent. lib. I. cap. V.* Ad ejus itaque dubia & exceptiones respondere aggredior, ea spe eoque animo, fore, ut quemadmodum placide ac modeste id faciam, ita æquo animo laturus sit vir celeberrimus. Id ipsum jam ante me fecit insignis *Moralista & Theologus Hochstetterus*, qui exceptiones illas itidem paucis examinavit solideque ad eas respondit, prout videre est in laudatissimo ejus *Collegio Pufendorfiano, Exercit. III. §. XXI. & seqq.* Sicillimenta itaque tantum erunt, quæ ego proferam, explicationesque paulo prolixiores.

§. III.

Primum, quod opponit celeberrimus *Thomasius*, eo redit, ut statuat, Deum in isto cum Adamo negotio non tam Dominum egisse aut Regem, qui leges externas præscripserit, sed benignissimum Patrem, qui non nisi monita paterna dederit, quæ non externam, sed internam potius obligationem produxerint. Neque enim Deum ferre leges proprie sic dictas, utpote quæ hominibus ferantur & ab hominibus; nam de Deo nullum prædicatum creaturæ proprie dici. *Enimvero* Patrem utique egit optimus Deus, qui primos parentes nostros amore plus quam paterno complexus

plexus tractavit tanquam filios, quid? pro amicis habuit. Sed quemadmodum Pater simul quoque Dominum ac Regem præ se ferre potest, ut utrumque una eademque persona sustineat, veluti olim id obtinuit apud Patresfamilias: ita non est, ut quis existimet, Deum, qui Patrem erga Adamum egit, tum non egisse quoque Regem ac Dominum. Is enim acquisiverat sibi justis causis in hominem imperium, & per insigne illud creationis beneficium & per consensum ipsius hominis ultroneum, quæ duo ejusmodi sunt, ut optime jure fundent imperium. Illud itaque cum justis causis sibi acquisiverit Deus, quidni in Adamum illud exercuisset? Exercuit utique, dum in omnibus de Adamo disposuit pro suo lubitu, æque ac Dominus & Rex de suo servo aut subdito; exercuit, dum legem præscripsit Adamo pro imperio cum appendice gravissimæ comminationis, æque ac Rex poenas subditis dicitat; Exercuit denique, dum hominem peccatorem tanquam rebellem e domicilio horti gladio expulit, æque ac gladios stringunt Reges adversus rebelles. Quæ omnia utique satis ostendunt, Dei in primum hominem imperium *actu* exercitum, ut non Patrem solum, sed *Regem* quoque ac *Dominum* egerit. Ea enim de causa Scriptura toties Deum Regis titulo, ac Regum etiam Regis & Domini Dominantium elogio celebrat, cum penes eum omnis majestas sit, & ab eo omnis *exordia* ordinata, ut is demum in humanis Rex sit, qui divinitus ab eo & majestatem & potestatem acceperit.

§. IV.

Cum itaque extra dubium sit positum, Deum cum Adamo egisse tanquam Regem ac Dominum, ecquis

dixerit, Deum non ferre leges proprie sic dictas. Formalis enim ratio legum fundatur in justis causis imperii, vi cuius dicta legitimi imperantis vim obligationis induunt. Unde & lex definitur a *Pufendorffio*, „ quod sit decretum, quo superior sibi subiectum obligat, ut ad istius præscriptum actiones suas componat. Quod cum ita sit, Deus omnino fert leges proprie sic dictas; nulla enim ratio improprietatis adferri potest, cum legis divinæ & humanæ eadem sit formalis ratio. Quid? quod adfirmare non dubito, leges humanas eo magis proprie leges dici mereri, quo propius ad divinarum legum naturam accedant. Unde & celeberrimus *Hochstetterus*, cur, *querit*, leges proprie dictas „ a Deo ferri negabimus, qui tamen unicus, isque „ secundum excellentiam Lator in Sacris audit? *Jac. IV. 12.* auctor legis Regiæ adeoque perfectissimæ de „ vita sociali diligendoque Deo ac proximo? *Jac. II, 8.* „ conf. *Sirac. XV. 14. 15. 16. 17. 21.* Hactenus viri celeberrimi verba in *Colleg. Pufend. ll. cc.* Undenam enim leges in humanis vim obligandi accipiunt? Unde, quod quidem inde a lege Dei, quæ dicitur, imperanti pare? Qua sublata lege, nulla lex proprie dicta existit, ut adeo inde vis omnis apud homines legis derivanda sit.

S. V.

Hoc jam nunc evicto, quod nimirum Deus leges proprie dictas ferat, per se inde consequitur, quod Deus Adamo legem de arbore vetita dederit, non tanquam monitum paternum, sed legem regiam ac proprie dictam. Omnia enim legis requisita in eam cadunt, si res altius examinetur; adsunt enim & superior Deus & homo subditus, cui ab illo lex ferri debet; adest justa legis

legis materia, quæ duabus istis essentialibus legis partibus absolvitur, quarum altera definitiva est, & vindictiva altera; adest & ex parte Dei promulgatio, & ex parte hominis ejus acceptatio; adest formalis legis effectus, obligatio, quam Eva in colloquio cum serpente fuit contestata, eaque non interna modo, sed & externa; nam adfuit denique etiam executio legis per dictatam poenam, cujus irrogatio, *Gen. III.* quidni effectus legis propriæ? Cum itaque omnia legis *requisita* in istam Dei legem cadant, eam proprie talem fuisse ultro consequitur. Id quod insuper vel ex eo solo probari potest, quod illa Dei allocutio, ne comedas, in *Ebraeo* hæc prævia habet verba, *וַיֹּאמֶר יְהוָה אֱלֹהֵינוּ*, & præcepit Dominus. Jam vero, qui alteri dat monitum, is non præcipit, sed suadet, rogat. Ut enim monitum rationem habet consilii, ita alteri non obrudi potest, aut vi injungi. Id autem si a superiore fiat, præceptum est ac mandatum, quæ legis synonyma sunt. Inde itaque efficitur, istud dictum Dei ad *Adamum* vere non tantum fuisse legem, sed & pro tali agnitam ab *Eva*. Ea enim tentatori serpenti objecit Dei mandatum, vi cujus ipsi non liceat ex arbore vel tantillum comedere. *Gen. III.*

S. VI.

Sed excipit *vir celeberrimus*, Deum futurum fuisse *tyrannum*, si quidem pro liberrima voluntate sua tulisset legem de re indifferente, quid? tam vili, quæ insuper æternæ mortis comminationem sibi annexam habuerit. At vero is tyrannus non agit, qui jus & beneficium *feudi* restringit ad exiguam quandam conditionem, ut ea neglecta *feudum* in commissum cadat;

is tyrannum non agit, qui suo subdito amplissimas divitias fruendas concedit, uno excepto nummulo; is, inquam, tyrannum non agit, qui in re minima fidem sui subditi experiri satagit, ut inde ad majora experimentum capiat. Quodsi enim altius res reperatur, inquiraturque paulo penitius in istam legem, non exigui momenti res videbitur, sed multiplex potius inde elucescet *Dei sapientia*. Tulit enim hanc legem Deus, ut *primo*, absolutissimum suum dominium in protoplastos, pariter & in omnes Paradisi arbores, imo, in omnes creaturas, homini probaret; hinc unam tantum hanc arbusculam excipere Creatori visum; *deinde* ut homini explorandæ obedientiæ materiam præstaret. Est enim præcipuum quoddam obedientiæ caput, quando præscriptum præstas, ideo solum, quia legislator præscripsit, quamvis præscripti nullas possis perspicere rationes alias, imo, quando prohibitum, demta sola prohibitione, est indifferens, quin & bonum. *Gen. I, 32.* „Unde *Augustinus*: ab eo, *inquit*, ligno, quod malum non erat, prohibitus est, ut ipsa per se præcepti observatio bonum illi esset, & transgressio malum, *de Gen. ad lit. lib. VIII. cap. 13.* Porro, ut hinc exaggeraretur futura hominis transgressio, ex eo, *partim* quod in negotio tam facili ac nullius momenti, non voluerit obsecundare suo Creatori, qui sibi omnium fruendorum copiam pura puta gratia fecisset; *partim* quod ob rem nullius omnino momenti voluerit susque deque habere Creatorem & *ισχυρην*, ejusque dominium & auctoritatem: id faciendo, quod eo nomine tantum non faciendum, ne Creatoris dominium & auctoritas *νομου θεου* violaretur; *denique* ut uno hoc præcepto positivo totam legem naturalem, cordi protoplastorum commis-

commiffam, univerfamque hominis obedientiam hoc *symbolo* concluderet pariter & obfignaret; Ita, ut unicuique iste actus omnia fecum raperet, integrumque hominis obsequium vel probaret vel destrueret. Illo enim præstito, illibatum in Deum amorem, nulla terrestri cupiditate foedatum ac degenerem ostendisset, seque ipsum Deo per omnia minorem & subjectum testatus esset: sicut, eo violato, se Dei imperium detrectare, cumque eo potius, ut mundi inferioris dominum, ex pari velle vivere, nec illius in se arbitria æquo animo pari, professus est, quæ immanis est rebellio. Atque hæc similesque plures intentæ a Deo rationes gravissimæ sunt istius legis de arbore vetita, ut ea adeo *pro re tam exigui momenti* habenda non sit; quibus addere placet illud *Tertull. lib. adv. Jud. c. 2.* Primordialis illa lex data Adamo in Paradiso, quasi matrix fuit omnium præceptorum Dei.

S. VII.

Denique excipit vir illustris, fructum arboris vitæ fuisse destinatum ad cibum serpenti, adeoque in eo fructu fuisse quasi concentratum spiritum virtute pollentem, ut produceret sapientiam terrestrem ac cupiditates terrestres: ergo legem hanc potius fuisse monitum paternum, ac mortem subsequutam non esse malum arbitrarium, sed necessarium. *Enimvero* pone extra dubium, latuisse ejusmodi quid in ista arbore, non itaque lex esse poterit ejus prohibitio? Lex etiam versari potest circa ea, quæ per se aliquod damnum inferre possunt alteri, cujusmodi plures existant leges & divinæ & humanæ; quid? quod ejusmodi res nocifera sæpenumero causa esse solet promulgandæ de ejus ab-

B stin-

stinencia legis, cum summi imperantis sit, legibus
 omne damnum in subditos redundaturum cavere, his-
 que tanquam sepe abstinere homines. *Deinde unde-*
nam constat viro clarissimo, cibum istius arboris ser-
penti fuisse destinatum? in sacris literis equidem non
deprehendo vestigium; undenam innotescit illi, quod
spiritus quidam terrestris cupiditates terrestres excitans
inibi latuerit? ex sanctiori historia itidem non patescit.
Id utique verum, quod arbor vite divinitus sibi inditam
habuerit facultatem, quæ debilitates corpori post lapsum
secundum naturam incumbentes avertisset; Nam in-
terclusa eam ob causam fuit post lapsum via ad arbo-
rem illam ducens, ne homo fructu ejus identidem ve-
scens, vitam, quousque vellet, & longius, quam Deo
videretur, extenderet; Unde Augustinus, ne primo-
rum hominum corpora, ait, veterascerent, ut neces-
sitate perducerentur ad mortem, mirabili Dei gratia
præstabat lignum vitæ; de Civit. Dei lib. XVI. cap. XX.
Sed quod ad arborem scientiæ attinet, illam virtutem ha-
buisse irritandi ingenerandiq; cupiditates terrestres, id e-
contrario nullibi exstat, unde & Augustinus, ab eo, inquit,
ligno, quod malum non erat, prohibitus est homo,
de Gen. ad lit. lib. VIII. cap. 13. Neque in horto tam
egregio tamque bono præsumi potest extitisse arbor
tam pestilens atque nocifera. Fingentium est itaque
Rabbinicum istud venenum libidinis ingenerativum,
quod olim defendere etiam annisus est Helmontius in
Operib. Med. sub tit. Thesis, pag 416.

§. VIII.

Neque juvat sententiam illustri Thomasi argu-
 mentum, quod mors subsequuta non fuerit malum arbi-
 trarium,

arbitrium, sed necessarium. Ea enim utique necessario
 subsecuta est, sed non necessitate quadam physica, quæ
 a causa physica, comestione scilicet ex arbore, suam in-
 eluctabilem traxerit originem; quod si fuisset, ipso come-
 stionis momento mori necesse habuissent protoplasti,
 neque fuisset opus, ut demum post actum ipsis mors
 subeunda dictaretur, *Gen. III.* verum necessitate quadam
 morali, quæ ex sanctione legis pœnali profecta fuit, ut,
 qui comedat ex ea arbore, moreretur. Sic enim inter
 alia illius historiæ momenta legimus, quod rationem
 pœnæ Deus ipse derivet ex violatione legis, inquam
 atque increpans Adamum, quia hoc fecisti, & come-
 disti ex arbore vetita; in pulverem reverteris, unde
 produisti, *v. 17.* Quibus ex verbis dispalescit, quod
 Deus pœnam dicitur mortis, ob legem violatam,
 cui ea jam ante appensa erat; Unde mors ista dictata
antecedenter quidem ad illam a Deo promulgatam le-
 gem malum erat arbitrium, *id est*, in arbitrio Dei si-
 tum erat, istam legem ferre, aut omittere; sed ea se-
 mel lata evasit *necessarium*, tum vi veracitatis divinæ,
 tum ejus justitiæ vindicativæ, tum reatus in homine,
 qui non nisi pœna expleri potest. Quid multa? *Legem*
 fuisse proprie sic dictam, non monitum tantum pater-
 num, istam prohibitionem comedendi ex arbore scien-
 tiæ, vel ex uno illo colligitur, quod Deus ad *Israelitas*
 apud *Hoseam* eloquitur, transgressi sunt legem meam,
 sicut Adamus; hic enim Adamus illam prohibitionem
 transgressus legem Dei violasse dicitur. *vid. Hof. VI, 7.*

§. IX.

Hæc hæc hactenus de lege non manducandi fructum
 ex arbore scientiæ boni & mali, quæ omnium certissima

Lex erat *Positiva-Universalis*. Quod autem attingit
 ad reliquas ejus generis leges, eas præcipue, quæ
 de matrimonio disponunt, ita excipit *vir celeberrimus*.
 „ De Monogamiæ lege dicit, non fuisse eam legem,
 „ sed consuetudinem quæpiam ad primævum Dei in-
 „ stitutum, qui unam uni junxerit, præsertim cum
 „ Patriarchæ viderint, monogamiam utique meliorem
 „ polygamia esse. *Enim vero* ea institutionum divina-
 rum ratio est, ut istæ vim legis habeant, si non sem-
 per ad exercitium actus; certe ad speciem actus obli-
 gantis, id quod satis institutio Sacræ Cœnæ ad oculo
 lum demonstrat. Unde & *Thomasius* ipse non tan-
 tum in *Cautel. circa Jurisprud. Eccles. cap. V. n. 13.* fate-
 tur, institutionem divinam habere vim legis, ut nihil
 fiat, quod repugnet fini primario negotii a Deo insti-
 „ tuti; sed etiam *de Crim. Bigam.* pulcre docet, omnes
 „ circumstantias negotii a Deo instituti hominibus per
 „ modum legis esse observandas, & pro essentialibus
 „ habendas, modo adpareat, Deum in iisdem singu-
 „ lare quidpiam & ad negotium ipsum intendisse; aut
 „ easdem ex postfacto non iterum sustulisse; vid. *Christ.*
Thomas. Disput. Academ. Lips. Dissert. VII. de Crimine
Bigamiæ, §. 42. pag. 509. Ecquis enim primæva ista
 institutio matrimonii vim legis non habeat, cum eam
 ipsam obligatoriam esse doceat Christus, *Matth. XIX.*
v. 3. 4. 8.? ecquis dispensatio Judæis ob cordis duri-
 tiem concessa locum habere potuisset, *ut ait Christus,*
 si quidem consuetudo fuisset mera? Unde & celeberr-
 „ mus *Hochstetterus*, mos, inquit, consuetudoque non
 „ obligat, ac potuissent Judæi inolitam potius apud
 „ ipsos polygamix divortiorumque consuetudinem al-
 „ legare. *ll. cc. pag. 142.*

De legibus autem positivis universalibus circa *varios incestuum gradus* ea movet dubia *vir celeberrimus*, quæ non tam serio, quam joco potius protulisse videtur. Nam incestus in linea recta, si parentes cum suis liberis concumbant, idem ipsi est, ac si senes cum juvenculis matrimonia ineant. At vero matrimonia senum cum juvenculis in viris sanctissimis, teste Scriptura, deprehenduntur, *exempli causa*, Davidi admodum *seni*, copulata fuit *juvencula*, adprobante Deo; sed ejusmodi incestus in *recta linea* usque adeo exosus fuit Deo, ut *gentes* etiam ob ejus commissionem ex terra *Canaan* expulerit. Ecquæ itaque putas tam gravem pœnam cadere potuisse in ejusmodi factum, quod idem sit cum matrimonio senem inter ac juvenem? Accedit, quod ratio prohibiti hujus incestus a Deo non ea indicetur, quæ in magna invicem *inequalitate* ætatis fundatur, sed disertis verbis habetur, non revelabis pudicitiam matris tuæ, cur? nam mater tua est, *Lev. XVIII. v. 7.* id est, ea te genuit, ideo eam non vicissim prægnantem facies. Quo ipso satis innotescit, quæ ratio sit prohibitionis, *propinquitas* nimirum *sanguinis*. Cæterum, incestum sororum ac fratrum reliquarumque personarum esse saltem contra legem *Mosaicam*, id quidem dicitur, sed solide non probatur. Ob ejusmodi enim incestus populi *Cananitici* e terra sua expulsi leguntur *Lev. XVIII. v. 3 coll. 6.* ubi *Egyptii & Cananei* prohibentur imitandi in eo, ne quis ad eorum exemplum cum *consanguinea* rem habeat; id quod itidem repetitur *v. 24. & 25.* Atque hæc fere ista sunt, quæ paucis ad exceptiones *celeberrimi Thomasi* respondere consultum duximus, ut ab iis sententiam

tiam de Legibus Divinis Positivis Universalibus pro
viri vindicarem.

§. XI.

Ad alterum jam cum modestia accedo adver-
sarium, qui magni notique vir nominis est IO. FRAN-
CISCVS BVDDEVS; is utique olim sententiam de
Legibus Dei Positivis Universalibus publice professus
est in *Philosophia sua Practica*, ubi, tales leges dari,
inquit, exempla probant, vid. *Philof. Pratt. Pars II.*
cap. II. §. XIII. Sed paulo post editis in lucem lauda-
tissimis ubique *Institutionibus Theologiae Moralis*, uti
plura inibi immiscuit nova, ita & suam de Legibus Dei
Universalibus Positivis immutavit sententiam, prout
videre licet *Instit. Theol. Mor. Part. II. cap. I. §. XI.*
Ad dubia itaque hujus celeberrimi viri, ob quæ con-
trarium jam sese sentire contestatur, in præsens quo-
que respondere aggrediemur, examinaturi simul diver-
sam ejus ac novam circa hanc rem hypothesin. Animo
certe placido, ac non nisi veritatis cupido in hanc ma-
teriam inquirō, eoque spero, fore, ut celeberrimus
vir hunc meum diffensum aut patienter ferat, aut con-
trarium me edocere benevole dignetur.

§. XII.

Quod itaque *primum* ad dubia attinet, quæ sen-
tentia de Legibus Dei Positivis Universalibus oppo-
suit *vir celeberrimus*, ea maxime circa *promulgationem*
„ earum legum occupantur; ita enim ille, incertum est,
„ *inquit*, quicquid de illarum promulgatione dicitur,
„ immo ista eas promulgandi ratio, quam vulgo sta-
„ tuunt, vix videtur esse sufficiens, ut per eam certo
„ ad omnium hominum notitiam leges istæ pervenire
potue-

potuerint, quod tamen legem universalem requiritur. *Hactenus vir clarissimus.* Est enim promulgatio necessarium legis requisitum, ut ea non facta lex aliqua non existat, saltem non obliget. Jam vero existimat *vir clarissimus*, promulgationem ejusmodi legum tum incertam esse atque dubiam, tum non sufficientem eo, quo vulgo statuitur, modo ac ratione. Inde facile efficitur, quod sententia de ejusmodi legibus nulla sit, dubia saltem atque insufficientis.

§. XIII.

Enimvero liceat ad *hec dubium* reponere, quod nobis videtur. *Primum* id quidem largissime largior, de vi legis esse, ut ea promulgetur. Neque tamen quis de promulgatione alicujus legis sollicitus esse debet ac dubius, si *effectus* legis ejusque *vigor* prosteret. Equidem ingressus plures civitates, vidi alios homines quid observare, alios ob ejus neglectum puniri. Quo cognito, num ejus præcepti aut interdicti facta sit promulgatio, non inquisivi, sed ex ejus *vigore & effectu* collegi, existere ibi ejusmodi leges, utut de earum promulgatione mihi non constaret. Ubique enim poena locum habet, ibi legem existare necesse est, cum altera pars legis sit poenalis sanctio; ubique, inquam, homines conspicio aliquid ad amissum observare, ibi legem id distitare consequitur, cum formalis legis effectus sit obligatio. Quibus ita extradubium positus, si in rem præsentem veniam, deprehendo in sanctiori historia *gentes barbaras a Deo graviter punitas* ob transgressionem eorum, quæ ex ratione itidem innotescunt, cujusmodi erant varia ista incestus genera. Hoc conspecto ecquid opus quaerere

(23)
rere de ejusmodi legum promulgatione? Quando-
cunque illa aut quomodo que facta sit, mihi peri-
de est, qui ex effectu ad legem solide concludo. Ne-
que enim justissimum in cœlo Numen ibi exercebit
pœnam, ubi non antecessit reatus; reatus non aderit,
si non præcesserit delictum; delictum non potest com-
mitti, cum non adest lex; lex denique si adest, ali-
quando promulgata fuit, etiamsi id ignoro. Unde
id tandem fluit, etiamsi nobis non constet, quando-
nam aut quo demum modo istæ promulgatæ fuerint
leges, eas tamen revera extitisse. Neque vero *solum-*
modo pœnas a Deo *gentibus barbaris infictas* in san-
ctioribus literis conspicio, sed ex prophana insuper
historia abunde constat, *eas ipsas leges* apud gentes
olim barbaras *in usu fuisse*, quod exemplis in medium
productis a GROTIUS comprobare licet, qui in hanc
» rem ita: Cui accedit, quod Paulus conjugium pri-
» vigni cum noverca tam severe detestatur: cum ta-
» men nullum de ea re peculiare extet Christi præce-
» ptum, nec ipse alio utatur argumento, quam quod
» talis commixtio impura habeatur a prophanis etiam
» gentibus, quod verum esse præter alia ostendunt
» Charondæ leges, quæ tale matrimonium infamia
» notant; & illud in oratione Lysia, maritus erat ille
» impurissimus hominum matris ac filia; unde non
» abit Ciceronis illud pro A. Cluentio in causa non dis-
» simili; nam cum socrum genero nupsisse narrasset,
» subdit: o mulieris scelus incredibile, & præter hanc
» unam in omni vita inauditum! Seleucus Rex cum
» uxorem suam Stratonicen Antiocho filio nuptam da-
» ret, verebatur, narrante Plutarcho, ne ipsa offende-
» retur τῶν μὴ νομιμασμένων, ut re illicita; apud Virgilium
est,

est, Thalamos ausum incestare novercæ; quæ com-
munis existimatio si a necessario naturæ dictato ori-
ginem non habuit, omnino sequitur, ut descendat
ex veteri traditione, quæ a divino aliquo præcepto
manarit. *Hactenus i. edw Grotius de Jur. Bell. & Pac.
lib. II. cap. V. §. XIII. num. 2.* Cum itaque apud ipsas
gentes observetur *ejusmodi legum vigor*, ecquid tan-
dem necesse erit multum inquirere in earum promul-
gationem? Ea ex ratione certe non fuit protecta;
ergo *aliunde*, & quidam, ut recte GROTIVS subsument,
a divino aliquo præcepto; Quomocunque autem,
ad rei probationem scire non attinet: nam vigor legis
sufficit. Atque hinc dispalescit, *quod frustra contra Le-
ges Positivas Universales dubium inde moveatur, quod
ab earum promulgatione desumitur.*

§. XIV.

*Deinde de omnibus istis legibus omnino in du-
bium vocari non potest earundem promulgatio*, cum
de aliquibus saltem in sacris literis præter facta. Annon
enim promulgavit Deus *legem de arbore scientiæ*, de
qua is ad Adamum, ne comedas ex ea; quo enim die
comederis exinde, certo morieris. *Gen. II.* Eam le-
gem profectam fuisse ex liberrimo Dei arbitrio, in-
confesso est apud omnes, eoque erat *positiva*; Eam
legem datam fuisse Adamo non pro se uno ac solo,
sed tanquam capiti morali universi generis humani,
id itidem apud nos Theologos non habet controver-
siam, eoque erat *universalis*; Eam denique legem
a Deo conceptis quasi verbis promulgatam fuisse, id
omnium longe certissimum, eoque nec defuit *promul-
gatio*. Annon porro post absolutum hujus universi
opus

C

opus promulgavit Deus *legem sabbati septimo die celebrandi, Gen. II?* Equidem non ignoro multiplices eruditorum exceptiones, qui proleptice id a Mose memorari contendunt; *sed in communi* nostratum sententia subsisto, & ex ea ita ratiocinor: Ea lex nihil connexionis habet cum natura hominis, & profuxit ex libera Dei voluntate, qui, si quidem voluisset, potuisset contrarium plane statuere; quo posito lex ista erat *positiva*; Ea lex data fuit universo generi humano, quod tum Adamus præ se tulit, unde lex ista etiam ad omnes fere gentes transit, prout præter alios viros doctos id ostendit Anglus Eduardus in Systemate suo Theologico; quapropter lex erat *universalis*; Ea lex denique promulgata etiam non tantum, loco dicto, legitur, sed & ex ejus vigore apud barbaras gentes jure præsumitur, atque ita & de *promulgatione* constat. Annon deinceps quoque disertis verbis promulgavit Deus *legem de Monogamia*, qui unam uni junxit, atque isti institutioni suam impertit benedictionem, *Gen. II.* quæ institutio nil aliud erat, quam promulgatio legis, ad quam ipse Christus provocat contra Judæos, *Matth. XIX. v. 3.* Hæc lex a libera Dei dispositione suam traxit originem, cum Deus postea in hanc legem contesserit dispensationem, quæ nihil est aliud, quam libera Legislatoris voluntas, quæ legem ferre potest & solvere; unde lex ea fuit *positiva*. Hæc lex omnes in universum obligavit homines, quorum tum personam egerunt primi parentes nostri; quamobrem optimus legis interpretes *Christus* denuo hanc legem ad omnes omnino homines extendit; unde lex ea fuit *universalis*. Hæc lex denique promulgata etiam fuit & a Deo in primo rerum exordio, & a *Christo* repetita atque

atque insigni cum severitate denuo injuncta; unde lex ea & *promulgata* fuit. Annon tandem etiam Deus promulgavit post lapsum *Adamo* & omni cum eo generi humano *legem de sacrificiis*, quam diverso cum effectu exsecuti leguntur duo Adami filii; *Gen. IV.* Legem de iis fuisse a Deo latam, ab ejus executione, solide concluditur. Quomodo enim sacrificium Abelis Deo placuisset, qui ad hominum arbitrium coli non vult; *Esa. XLIX, 13. Marc. VII, 7?* Legem istam a Deo libere constitutam fuisse, ab ejus sublacione, in novo foedere facta, & a sacrificiorum detestatione, a Deo impiis Judæis toties significata, optime probatur, ut adeo lex fuerit *positiva*. Legem istam inde ab *Abele* & *Caino* ad omnes in universum homines transiisse, id quidem ad oculum ostendi potest & ex sacris literis, & ex tot gentium monumentis, unde innotescit verum esse illud *Ciceronis*, nullam gentem tam barbaram fuisse, tamque dissitam, quæ non aliquem Deum coluerit sacrificiis; ut adeo lex fuerit *universalis*. Legem denique istam non profuxisse ex ratione aut inventione hominum, id Philosophi dudum evicerunt; & vel una hæc ratio evincit, quod ratio de fide nil sciat, qua Deo sacrificium obtulit Abel, teste *Paulo ad Ebraeos*; ut adeo lex fuerit *promulgata* a Deo post annunciatum Protoplastis protevangelium, in quod suam fidem contestati sunt istis sacrificiis. His itaque positis per se innotescit, quod de *omnibus* saltem legibus, vulgo propositivis universalibus habitis, pronunciarî non possit, *dubiam* earundem esse *promulgationem*, cum certe de aliquibus, si non de omnibus, id ad oculum ostendimus; unde jam corrumpit, quod *vir clarissimus* dixit, quod de Adamo dicitur, ei leges positivas fuisse pro-

„mulgatas, vel ideo admitti nequit, quod nullum hu-
 „jus rei in Scriptura sacra exstet vestigium *LL. cc.* Nam
 satis, *puto*, luculenter offendimus divinæ, Adamo fa-
 ctæ, promulgationis vestigia.

§. XV.

Porro quod attinet ad earum legum promulga-
 tionem, tum *Noacho* factam, tum repetitam per *Chri-
 stum*; ad illam respondeo de *præceptis Noachidicis*,
 quod illa utique varii generis leges suo sinu fuerint
 complexa, quæ tum naturales fuerint, tum positivæ.
 „Sed inde non consequitur, quod nullum pro jure po-
 „sitivo universali, Noacho publicato, duci possit argu-
 „mentum. Nonne enim Jus positivum universale *Noa-
 cho* promulgatum fuit, de non comedenda carne vivente,
Gen. IX, 4. 5. quod repetitur *Lev. III. ult. VII, 26.
 XVII, 10. 14. Deut. XII, 23. seqq.?* Ea lex *positiva*
 fuit, quia & a Dei beneplacito dependit, & cum na-
 tura hominis sociali ac rationali ne tantulum quidem
 connexionis habet; Ea lex non positiva ceremonialis
 ac particularis fuit, quia *Ab. XV. 20. & 29.* sollicitè
 a legibus ceremonialibus separata & idololatriæ atque
 fornicationi comparata legitur; ergo *positiva univer-
 salis* fuit; & *promulgata* quidem *Noacho* ejusque fa-
 milia. Nec tamen, ut *BAIERI* verba mea faciam,
 „subscribimus *Leoni* in *Novell. 58.* omnem cibum san-
 „guine conditum interdicens sub pœna fustigationis.
 „Nam sanguine velci non nisi esum carnis crudæ & pal-
 „pitantis denotat; *Gen. IX. v. 4. 1. Sam. XIV. & alibi.*
 Nonne etiam jus positivum universale *Noacho* promul-
 gatum fuit de homicidis capite plectendis, *Gen. IX. v. 6.*
 quod toties *Israelitis* fuit inculcatum, ut videre est
Exod.

Exod. XX, 12. Num. XXXV, 31. 33? Ea lex naturalis non fuit, cum alias in ea dispensare non potuisset Deus, qui *Caino* imposuit in fronte signum, ne ob fratricidium commissum interficeretur a quoquam, *Gen. IV. v. 15.* ergo fuit *positiva*. Ea lex particularis non fuit, cum eam Deus vel ad bruta animantia extendere, ut interficerentur ob commissum ab iis sorte homicidia; ergo fuit *universalis*. Unde itaque per se fuit, fuisse omnino datas *Noacho* leges quaspiam positivas universales, *Gen. IX.* Ad posterius autem respondeo, de repetitis istis a *Christo* legibus, quod optimus Salvator unicus neque novum legislatorem egerit, neque cum in finem venerit, ut denuo leges promulgaret. Id unum mihi sufficit, *Christum* & *Apostolos* repetiisse quasdam leges positivas universales, vel *Adamo* datas, vel *Noacho*, ut illi de monogamia, *Matth. XIX.* de hinc de non comedenda carne cruda, *Matth. XV.* Neque enim in ea sunt sententia, quasi vero ea demum lex positiva universalis sit, quae primum *Adamo* data, dein *Noacho* renovata, tandem a *Christo* denuo promulgata; sed ita statuo alias leges positivas universales datas fuisse *Adamo*, easque de arbore vetura, & de sabbatho & de sacrificiis & de monogamia; alias accessisse his *Noacho* datas, tum de carne cruda, tum de capitali poena homicidii; & quae similes leges & *Adamo* & *Noacho* plures fuerunt datae, ut in sacris literis non expressae. Tandem adventu *Christi*, aliae leges positivae universales fuerunt abrogatae, exempli causa, lex de sabbatho & de sacrificiis, aliae fuerunt retentae, ut de carne vivente, *Matth. XV.* aliae a dispensationibus *Mosaicis* liberatae, & restitutae sine ulla in posterum dispensatione, ut de polygamia vitanda & de utenda

monogamia ; ut de gradibus prohibitis, *Matt. XIX.*
 Quæ cum ita sint, difficultas ista promulgationis tri-
 plicis me non tangit, qui non nisi exposita jam ratione
 datas, statuo leges istas universales.

§. XVI.

Tandem inquit vir celeberrimus : Immo ista, eas
 „ leges promulgandi ratio, quam vulgo statuunt, vix
 „ videtur esse sufficiens, ut per eam certo, ad omnium
 „ hominum notitiam leges istæ pervenire potuerint,
 „ quod tamen ad legem universalem requiritur. *Enim-*
vero mihi videtur omnino sufficiens, cum inde ab
 Adamo & Noacho notitia istarum legum potuerit ad
 omnes transire homines per *modum traditionis*, conti-
 nuæ, quæ etiam sententia est *illustis Grotii*, qui
 omnino sequitur, *inquit*, ut descendat ex veteri tradi-
 tione, quæ a divino aliquo præcepto manarit. *De Jur.*
Bell. ac Pac. lib. II. cap. V. §. XIII. num. 2. Ecquis enim
 ignorat, quæ quantaq; vis olim fuerit traditionis ora-
 lis tum apud *gentes barbaras*, tum apud *Judeos*? Si
 evolvas *gentilium* monumenta, cum admiratione id
 deprehendes. Quam enim egregie isti de creatione
 mundi, quam luculenter de lapsu primorum homi-
 num, quam pulcre de diluvio, & de similibus? Hæc
 omnia enim unde habuerunt cœcæ istæ & veræ reve-
 lationis luce destitutæ gentes, unde, quam inde a con-
 tinua *traditionis* serie? Cujus vis apud *Judeos* hodie-
 que non minus cernitur, qui mirum quantum inde
 a majoribus suis per traditionem acceperunt, unde &
 ipse Deus modum traditionis pro *sufficiente* habuit, quo
 notitia miraculorum, in *Agypto* atque in deserto edi-
 torum, a Deo ad seram usque posteritatem transire
 possit

possit non interrupta serie. Hoc itaque modo ad omnium hominum notitiam leges istae pervenire poterunt, ut pro insufficiente haberi non queat; Et eo quidem minus *insufficiens* videri debet, quo luculentius constat, ejusmodi leges universales percrebuisse ad omnium hominum communem notitiam. Nonne enim *lex ista de sacrificiis* transit ad omnes homines, prout prolixè id ostendit doctissimus *Gloppenburgius in Schola Sacrificiorum?* Nonne, *inquam*, vestigia notitiæ *de lege Sabbati* apud omnes gentes deprehenduntur, de quo exstat in *Ufferianis* singularis epistola, teste celeberrimo *Fleobstettero in Collag. Pufendoriano?* Quodsi itaque una alteraque lex positiva universalis hoc modo innotescere potuit gentilibus, quidni & omnes reliquæ? Videtur itaque omnino *sufficiens* ea promulgandi ratio, quam vulgo *Adamo & Noacho factam* & inde per traditionem propagatam statuunt. Et facta traditionem istam minus fuisse fidelè, tractu præsertim temporis, ut istarum legum notitia in animis gentiliùm plane expiraverit; Id nihil impedit, quo minus lex positiva universalis extiterit. Ipsi enim in culpa fuerunt turpentis sensim sensimque istius ignorantia, per suam negligentiam animique perversitatem, ob quæ Deus ipsos sibi ipsis plane reliquit, quid erroribus tradidit; *Rom. I.*

S. XVII.

Atque huc fere redeunt dubia, quæ contra leges positivas universales movit *vir celeberrimus*, ad quæ respondimus, quantum id quidem nobis videtur. Quo facto, tandem a nobis etiam inquirendum erit in peculiarem *viri doctissimi* hypothèsin, qua longe
facilius

facilius omnes difficultates expediri posse arbitratur.
 „ Ea autem ita sese habet. Distinguo, *inquit*, inter leges
 „ absolutas & hypotheticas. Hypotheticas voco, quæ
 „ certum aliquod institutum supponunt. Instituta ista
 „ vel divina sunt, vel humana. Humana, ut dominium
 „ rerum, pretium rerum, & alia; divina, ut arbor
 „ vetita in paradiso, matrimonium, sabbatum, sacra-
 „ menta veteris & novi testamenti. Ad hæc instituta,
 „ ad hominum quippe salutem comparata, observanda,
 „ jure naturali obligati sumus. Hinc leges hypotheticæ.
 „ Ita plana cuncta & in aprico posita, optimeque inter se
 „ cohærentia. Omnia etiam dubia facillime hac ratione
 „ solvi poterunt. *Hætenus verba viri celeberrimi.*

§. XVIII.

Enimvero primum id mihi advertere liceat, quod hæc viri celeberrimi sententia nova non sit, utpote quam dudum jam tradidit magnus in printis *vix Ofsander in Typo Legis Naturæ*. Sed, misso hoc, dispicimus ante omnia de institutis istis, & divinis, & humanis, quibus leges suas hypotheticas superstruit *vir clarissimus*. Ea quippe admodum inter se differunt, cum *alia* connexionem habeant cum natura hominis sociali & rationali, cujusmodi sunt, dominium rerum, matrimonium, & sic deinceps; *alia* e contrario ita sint comparata, ut, salva hominis natura, possint & dari, & auferri, exempli causa; arbor vetita, sabbatum, reliqua. Hoc posito, leges his diversis a se invicem institutis superstructæ a se quam maxime differunt, ut *aliæ* sint naturales, & *positivæ* *aliæ*. Quæcunque enim lex versatur circa ea, quæ connexionem habent cum natura hominis sociali, ea est naturalis, prout

prout commune illud *principium cognoscendi* in Jure naturæ habet ; *e contrario* autem quæcunque lex occupatur iis , quæ ad naturam hominis socialem non spectant , ea positiva est. *Deinde* maximum etiam intercedit discrimen inter leges istas hypotheticas , num circa instituta ista aliquid deponant aut præcipiendo aut interdicens , quod ex *libera Dei voluntate* proficiatur , quodve in *naturali Dei justitia* ac sanctitate fundetur. Hoc arguit leges *naturales* , quæ fundatæ quippe in Dei natura sancta sunt ; illud autem *positivas* , quarum ratio hoc ipso absolvitur , quod a libera Legislatoris voluntate proficiantur. Ita si consideres instituta ista , quæ sunt *dominium rerum , rerum pretia , sermo , & sic deinceps* , leges circa hæc , ut non fureris , non defraudes , non mentiaris , moralitatem habent *objectivam* , quæ in naturali Dei justitia & veracitate radicatur : Sin vero perpendas instituta ista , quæ sunt *arbor vetita , sabbatum , matrimonium* , leges circa hæc , ut , non comedas ex arbore , sabbatum celebra , non nisi unam uxorem ducas , suam moralitatem non nisi accipiunt a libera Dei voluntate , quæ , si voluisset , statueret potuisset contrarium. Hinc itaque consequitur , tum ratione istorum institutorum , tum ipsarum circa instituta ista legum , præcepta hypothetica , quæ factum humanum , ut dominium rerum , supponunt , *naturalia esse* , & ea , quæ divinum factum , ut arbor

D

vetita,

vetita, *positiva* esse; quo posito, pro iisdem legibus hypotheticis haberi non possunt, quæ aut divina aut humana facta supponunt, sed quam maxime ab invicem differunt. Et ita nobis remanent nostræ leges *Positivæ Universales*, quæ quippe hac hypothese male cum legibus naturalibus hypotheticis confunduntur.

§. XIX.

Sed agendum extra dubium pone hanc *viri doctissimi* sententiam, & dispice, num omnia dubia hac ratione solvi possint facillime. Quodsi equidem in rem inquiri, eadem sese mihi offerunt difficultates. Recurrit enim *questio*, quomodonam promulgatæ sint gentilibus leges istæ hypotheticæ de matrimonio, tanquam factæ divino, disponentes, prohibentesque varios istos incestuum gradus. Cum enim ea propter fuerint a Deo graviter punitæ istæ gentes barbaræ, promulgatam ipsis fuisse oportet legem istam hypotheticam. Hanc jam mihi difficultatem solvat, qui potest, ex *istâ hypothesis* de legibus hypotheticis. Equidem præsidium ibi non invenio, nec ullum usquam effugium. Nec *minor difficultas* sese offert circa *dispensationem*; si nimirum inquiratur, quid tandem sit, quod circa furta, circa fraudes, circa mendacia, Deus nunquam dispensasse legatur, cum tamen dispensaverit Deus in polygamia, in gradibus

libus prohibitis, in reliquis? Illa supposuerunt factum aut institutum humanum, dominium rerum, pretium, sermonem, nec tamen in legibus istis hypotheticis unquam *vere* dispensasse legitur Deus; hæc sunt facta divina, ut matrimonium, ut sabbatum, & in istis dispensavit Deus. Quæ hujus disparitatis ratio? Si *eadem* utrinque sunt leges hypotheticæ, cur *utrinque* non dispensavit Deus? *Respondet*, qui velit, ad hanc meam *questionem* ex hypothese ista de Legibus hypotheticis! Quæ cum ita sint, hætenus mihi tam perspicaci esse non contigit, ut ex hypothese *viri celeberrimi* omnes difficultates solvere didicerim.

§. XX.

Atque hæc sunt istæ cogitationes meæ de sententia *viri celeberrimi*. Placide, & satis, puto, modeste eas aperui, ut spes mihi sit, fore, ut si rationum robur non allubescat *viro doctissimo*, saltem animus placidus placeat. Quodsi illi vacarit suas reponere exceptiones, maximo id me afficiet gaudio, cum spes inde affulgeat, ut major hac in materia mihi lux sit oboritura, quæ *aut* mihi sententiam præsentem mutare suadeat, quod veritatis gratia lubentissime fecero, *aut* facem mihi luculentiorum in excolenda rite hac materia præferat.

T A N T V M.

